Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Ex apud Hebræos singularis, qua frater uxorem fratris sine liberis mortui ducere jubebatur, ut semen fratri suscitaret, Deut. 25. 5. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Visual Library

cervices calcatæ. Calceus ſignum dominii. Calcei extractio ſignum ceſsionis de jure. Calceus in hoc ritu adhibitus in ſignum privari levirum omni jure quod in viduam habebat. Balduini circa hunc ritum lapſus. Error Thomæ Dempſteri & Cypriani.

I.

INter ſingularia veterum Hebræorum inſtituta, quæ ab aliarum gentium moribus fuerunt diverſa, legem referre licet, qua voluit ſummum Numen, ut frater uxorem fratris ſui ſine liberis mortui matrimonio ſibi jungeret, & ſemen fratri defuncto Deut. 25, ſuſcitaret. Verba legis ſunt. *Si* 5. 6. *habitaverint fratres ſimul, & mortuus fuerit unus ex illis, & filius non fuerit ei, non nubet uxor defuncti extra, viro extraneo: Defuncti frater ingredietur ad illam, & ſumet eam ſibi uxorem, & præſtabit officium leviri. Erit autem primogenitus quem pepererit, ſtabit nomine fra-*

tris ſui defuncti, ne deleatur nomen ejus ex Iſraele. Quod præcipit lex de officio leviri jam antea videtur obtinuiſſe, cum exemplum vetuſtius in hiſtoria Judæ occurrat,
Gen. 38. 8. 9. qui, Ere primogenito ſuo ſine liberis defuncto, alteri filio Onan dixit, ut ingrederetur ad uxorem fratris ſui, & illi ſemen excitaret. Conſuetudinem legi reſpondiſſe illuſtre documentum *habemus* in nota illa hiſtoria, quam Chriſto
Matth. 22. objectam à Sadducæis legimus, de ſeptem fratribus, qui unam eandemque duxerint uxorem. De hac lege & leviratus jure integer exſtat Tractatus Talmudicus Jevamoth, & præter Maimonidem & Rabbinos alios, multa monuerunt viri
Buxt. Syn. Iud. c. 41. & de ſponſal. Seld. uxor Hebr. l. 1. c. 12. &c. magni Buxtorfius & Seldenus.

II. Sed in hac lege illud omnino mirandum eſt, non potuiſſe à leviro hoc officium prætermitti ſine quadam infamia, qua notabatur ad uxore defuncti fratris, quæ calceum ipſius exuebat, & conſpuebat faciem. Nam cum fieri poſſet, ut leviro non placeret fratris defuncti conjux, & matrimonium illius recuſaret, liberum quidem